

INSTITUTIONES
IVRIS CANO-
NICI, IN TRES LI-
BROS SECUNDVM TRIA IVRIS
obiecta partitæ, & ad præsentem Ecclesiarum
Germaniæ statum directæ; nunc
secundo editæ,

Authore

IOACHIMO STÉPHANI, IC. CLARISSÍ-
mo, Illustriss. Ducis Pomeraniæ Consiliario, & Acade-
mia Gryphisvvaldens. Professore
ordinario.

ACCÉSSIT ITERATA HAC EDITIONE
brevis, sed erudita Tractatiuncula, de Conciliis siue
Synodis, earumque conuocatione &
authoritate, &c.

*Cum Summariis, Elencho Capitulorum, & Indice Verborum ac
verborum memorabilium.*

ANNO M. D.



C. X I I.

FRANCOFVRTI

Typis Nicolai Hoffmanni, Impensis Petri Kopffii.

49 Omnes ministri, Symphoniaci, editui, ministeriales & alij officarii Ecclesiarum & Scholarum Episcopo subiecti sunt.

50 Alia species L. Iurisdictionis.

51 Clericus ex propria authoritate excommunicare non potest.

52 Ius Episcopale ex pacto Passouienfi ad Principes Germania & Status Imperij translatum.

53 Principes Germania & Status Imperij ea, quae sunt Ordinis per Superintendentes, quae sunt L. Diocesanae & L. Iurisdictionis per Consistoriales administrant.

- 1 **E**pisopus † consecratus post Consecrationem plenam habet potestatem iuris episcopalis, & Clericos ad ministeriū ordinare & consecrare potest *c. transmissa. c. quod sicut. §. prater. de elect. vnde & Dominus appellatur, vt dictum est.*
- 2 Et Græci † Canones ἀξιωματικὸν eum vocant, Phot. lib. 1. c. 36. quod omnē dignitatem & quidē summam in se sustineat, cum sit Ecclesiae sanctae
- 3 columna, Et ideo † Episcopatum solvere ipso iure patriam potestatem sine emancipatione vel capitis diminutione aliqua certum est, Nouell. 81. ac in hac parte præferri patriciatui ex Balsam. d. c. patet, cū aliàs eo tempore, ac maximè in Orientali Imperio Domini seu Despoti nomen tantū Illustrissimis familiarū competebar, qui ab Imp.
- 4 proximi erat. Habet † itaq; Episcopus Diœcesin,

s. Cum ad Monasteriū, de stat. Monach. Sic & omnes
 Symphoniaci, æditui, ministeriales & ministri
 tam Ecclesiarum, quam Scholarum & alij offi-
 ciarij, qui remoueri possunt, & manualia bene-
 ficia possidere dicuntur, Episcopo subiecti sunt,
Dd. in c. vnic. de Syndic. cum vna & eadem domus
 non debet diuersa Iurisdictione censeri, multo
 magis domus magna, Ecclesia, ministros diuer-
 sæ Iurisdictionis continere non potest. Sic Cen-
 sura † Ecclesiastica, sub qua continetur Excom- 50
 municatio, Interdictum generale & speciale,
 suspensio & Cessatio ab officio, de quibus suo
 loco dicendum est, ad L. Iurisdictionis referun-
 tur. Et est † excommunicatio ex certis delictis 51
 & causis in Iure probatis per cognitionem iudi-
 cis Ecclesiastici solummodo definienda. Quæ
 tamen sententia ferenda non est, nisi præcedat
 trina monitio, *c. Treugas, de Treug. & Pac. c. Sacro, de
 sent. Excomm.* Ideoq; Priuato Clero hoc ius non
 competit, nec Clericus propria autoritate ex-
 communicare aliquem potest. *c. nemo. 2. q. 1. c. nul-
 lus c. excommunicat. 11. q. 3. c. Archidiaconus. de offic.
 Archid. Nou. 123.*

Illud † autem obseruandum est, quod refor- 52
 matione Religionis hæc iura Episcopalia, quo-
 ad Ordinem, L. Diœcesanā & L. Iurisdictionis,
 quæ ad Episcopos ordinarios spectant, pleno &
 summo iure exercenda, Decreto Imperiali in
 Passouensi conuentu edito, ad Principes terri-

toriorum vel Dominos terrarum & Status Imperij, Imp. & Imperio Romano, immediate subiectos, tanquam fiduciarios possessores, tantum translata & deposita sunt, vt pro statu Ecclesiæ optimo hæc administrent & gubernent. Vt & ideo hodie religionem regioni coherere dici potest, vt cuius sit **REGIO**, hoc est, Ducatus, Principatus, Territorium seu Ius territorij, eius etiam sit **RELIGIO**, hoc est, Ius Episcopale seu Iurisdictio spiritualis. Pro administratione † autem Iuris episcopalis, quod est indiuiduum, hodie Principes Germaniæ, & Status Imperij, immediate Imp. & Imp. Romano subiecti, duobus medijs vtuntur. Nam ea, quæ sunt Ordinis per Superintendentes, & quæ sunt L. Diocesanae & L. Iurisdictionis foro Ecclesiastico per consistoriales consensu Statuum Prouincialium, Imp. & Imp. Romano mediate subiectorum, constitutos, vt ex Constitutionibus Ecclesiasticis liquet, administrent, ita, vt siue consensus Statuum Prouincialium ad hoc accesserit, siue non accesserit, tamen hi Status Prouinciales omnes, vt subditi, huic iuri episcopali parere compelluntur, eo, quod Imp. Romanum vt nullos ciues, à fide Catholica alienos, ita nec à iure Episcopatus exemptos,

ferre potest, *L. Cunctos populos,*

C. de Summ. Trin.